

1

2

29

30

31

32

33

DE
VXORE DESERTICE
DOTE SVA
EX REGVL A QVIDEM NON SEMPER
TAMEN PRIVANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE
D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

IVRIS SAXON. PROF. PVBL. ORDIN. ICTORVM ORDINIS
ASSESSORE ET COLLEGII MINOR. PRINC.
SODALI

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQUENDIS

DIE XXVIII. OCTOBRIS A. O. R. C¹⁵OCCLXXIX.

H. L. Q. C.

DISPV TABIT

CHRISTIANVS GOTTLLOB HEYMANNVS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBÆERI.



ANNORE DREZER TRIC
DE

NOTE ZA

ER TEGNAV GARDEN NON SEMPER

TAMEN TERRA VACUA

IEASTRIS ICHORUM QEDIXIS ALGORITMIS

GRASSATI

D AVAGATO IRIDERICIS SCIOIT

IEASTRIS ICHORUM QEDIXIS ALGORITMIS

GRASSATI ET CORRIDA MELISSA



§. I.

Instituti ratio.

Vxorem, quae commisso adulterio caussam di-
vortio dedit, dotem, quam marito intule-
rat, ex regula amittere, siue Romanas le-
ges, siue canonica sanctita, siue fori hodi-
erni usum intuearis, expediti iuris est ^{a)}. An et quousque
vero idem ius obtineat circa vxorem, quae desertione sua
effecit, ut vinculum matrimoniale inter ipsam eiusque ma-

A 2 ritum

a) De quo argumento legi meretur
IVST. HENN. BOEHMERI
Diff. de priuatione dotis et succeſſi-

fionis statutariae ex capite adulte-
rii, quae prostat in EIVS Exer-
citat. ad Pand. T. IV. p. 777.

ritum contractum dissolueretur? dubia quaestio esse videatur, de qua inter interpretes non omnino conuenit. Alii enim hanc priuationis poenam ad solas adulteras, non aequae ad desertrices foeminas pertinere contendunt: alii vtrumque pruarum vxorum genus ei obnoxium esse volunt. Quae postrema sententia quamquam ob argumentorum, quibus ea nititur, grauitatem nobis semper placuerit, tantum tamen abest, vt eam in quounque diuortio, marito petente, propter vxoris desertionem decreto statim sequendam censeamus, vt potius secundum diuersitatem specierum et circumstantiarum, quae desertioni, etsi illicitae, occasionem praebuerunt, diuersum in modum pronuntianum putemus, ita quidem, vt vxorum, quae malis mariti moribus, sacuitiis aut paupertate commoti priuata auctoritate ab eo discesserunt, et, licet a magistratu iussae, neque reuerti, neque actione ad dissoluendum matrimonium ipsae experiri volentes, tandem desertricum instar diuortium patiuntur, melior hac in re habeatur conditio, quam earum, quae luxuriae caufsa aut ex mera pertinacia maritum defesrunt. Quod quo clarius appareat, primum argumenta, quae, desertionem non minus, ac ipsum adulterium, iustum amittendae dotis caussam praebere euincunt, affereamus: deinde rationes, quae nobis obstat, et quibus foeminae desertrices a dotis priuatione in vniuersum defendi posse videntur, sub examen vocabimus, ita quidem, vt nostra sententia simul confirmetur: tandem cauñas, quae exceptionem

exceptionem a regula faciunt, et ob quas rigor huius poe-
nae interdum cessat, commemorabimus.

§. II.

*Argumenta pro dotis priuatione ob vxoris desertionem
decernenda:*

1) *Desertionis cum adulterio respectu perfidiae conuenientia.*

Varia autem argumenta, ex quibus, vxorem ob deser-
tionem mariti dote sua ex regula priuandam esse, per-
spicitur, in medium allaturi ab eo, quod in desertions ma-
litiosae cum adulterio comparatione positum est, initium
ducimus. Est sane admodum probabilis et ipsa recta ra-
tione innixa interpretum cum doctrina tum auctoritate
eminentium, vt, CARPZOVII, b) BOEHMERI patris c)
atque filii, d) perill. PVFENDORFFII e), ill. HOMMELII f)
aliorumque sententia, desertionem coniugis, quae animo
fit cum eo amplius non cohabitandi, hoc est, malitiosam,
ab ipso adulterio, si perfidiam, quae vtroque facto com-
mittitur,

A 3

b) CARPZOVIVS in *Iurisprud.*
Eccles. Lib. III. Tit. V. Def. LXXI.
n. II.

c) Iust Henn. BOEHMERVS in
Iure Eccles. Protest. Lib. IV. Tit.
XX. §. 30.

d) Ioh. Sam. Frid. BOEHMERVS
in *Oliver.* ad CARPZOVII

Praef. rer. crimin. P. II. Qu. LVIII.
Obf. II.

e) Frid. Es. a PVFENDORF, vir
perilluftris, in *Observat. Iur. univ.*
T. IV. Obf. CCXL. §. I.

f) Car. Ferd. HOMMELIVS, vir
illuftris, in *Rhapsodia Quæfition.*
Vol. V. Obf. DCIX.

mittitur, spectaueris, parum aut nihil differre. Qui enim coniugem suum quasi coelibem viuere cogit, et officia ipsi debita recusat, id quod sit deserendo, quid, quaeſo, talis aliter agit, quam fidem coniugalem frangere, quae praeter alieni amoris fugam inprimis indiuiduam vitae consuetudinem desiderat? Quemadmodum igitur adulterans foemina, dum corporis copiam, ſoli marito promiffam atque permiffam, extraneo mari facit, fidem matrimonii omnino violat, ita nec minus ea, que priuato ſuo a marito diſceſſu efficit, vt is iam fit sine vxore, et mutua officiorum coniugalium praeftatione caret, perfidiae rea fit. Cur vero hanc mitiori iure, ac illam, vti ceneſamus, cum in vtraque eadem amittendae dotis cauſa deprehendatur? Nam veram rationem, ob quam adultera vxor dote ſua cadit, ſaltem ex iuris canonici, quod vſus hac in re feruat, principiis non tam in ipſo diuortio ſecuto, quam potius in ſolo adulterio a marito innocentē haud remiſſo, adeoque in perfidia ab uxore perpetrata, tamquam cauſa proxima, quaerendam eſſe, communis eſt opinio, legis auctoritate non deſtituta. ^{s)} Ergo deſertricem foemina mōtum ſuam inuito marito repetere, iuris analogia haud patitur.

§. III.

^{s)} Cap. IV. X. *de donat int. viv. et uxor.* Conf. BOEHMERVS in *Iure Ecclef.* Prot. I. c. §. XXIII.

§. III.

2.) *Desertio coniugis malitiosa, aequa ac adulterium, in delictorum numero est.*

Neque hac sola, quam superiori §. descripsimus, ratione malitiosa coniugis desertio cum adulterio aequiparanda est, verum etiam ideo, quod illa non minus, ac hoc, inter delicta passim resertur poenisque vindicatur. Neque immerito. Nam, iudice **HOMMELIO**,^{b)} viro illustri, deserentes quasi furtum sui corporis committunt, desertumque coniugem iure quaesito commodisque coniugii priuant, et ius sibi dicunt sine iudice, atque in se ipsis auxilium quaerunt. Hinc legibus *Saxonice electoralibus* expresse cautumⁱ⁾, vt deserens coniux, si publica citatione prorsus neglecta in contumacia perseuerauerit, fustigatione ac perpetua relegatione, secuta vero reconciliatione, arbitraria carceris poena afficiatur. In *Ducatu Magdeburgico*^{k)}

coniuges

b) *III. HOMMELIUS I. c.*
i) ORDINAT. ECCLES. 3 A.X.
ELECT. Tit. *Von denen Ehegatten, so einander loslich verlossen,* verbis: *Würde der Ehemann von seinem Weibe, oder hinwiederum das Weib von ihrem Ehemanne mutwillig laufen, und eins das andre eine Zeitlang fern lassen, und auf vorgebende öffentliche Citation sich nicht wieder einstellen; so soll das verbrechende Theil, zu welcher Zeit es kernach in wifern*

Landen betreten würde, mit Stau-penschlägen des Landes ewig ver-wiesen werden; es wäre dann, dass es wieder zur Ver-föhnung beyder Eheleute gereichte, und auf den Fall soll nichts destoweniger das schuldige Theil mit Gefangniß willkührlich ge-strafft werden.
Eadem sanctio repetita in ORDIN. MATRIM. SAX. ELECT. Cap. III.

k) MAGDEBURGISCHE VER-LOEBNIS. VND EHE-ORD- NUNG

coniuges desertores aut desertrices pro re nata et ex iudicis arbitrio, seuere tamen, puniri iubentur. Ius Würtembergicum¹⁾ iisdem relegationis poenam minatur. Ex his exemplis (nolo enim plura cumulare,) cum satis appareat, Germanorum moribus inter crimina referri et poenis omnino dignam censeri malitiosam coniugum desertionem, quid magis aequitate conueniens, quam ut innocens maritus in vxoris desertione sua delinquentis poenam eodem iure dotem lucretur, quo ea ob coniugis adulterium ad illum pertinet?

§. IV.

3) *Omne diuortium uxoris culpa factum sequitur dotti priuatio.*

At quid opus, ad solam iuris analogiam recurrere, cum in promtu sint expressae iuris Romani sanctiones, quae

viores

N V N G Cap. IV. §. I. vbi ita:
Wann der Ehemann von seinem
Weibe oder dieses von ihrem Ehe-
mann aus Muthwillen wegläuffen,
und eines das andre eine Zeitlang
sitzen lassen, und auf fürbergchen-
de rechtmäßige Vorladung sich
nicht hinwiederum einfinden; so
soll das verbrechende Theil, wann
es hernach in unserm Erststiftie
betreteu wird, nach Befindung
ernstlich bestrafet werden. Es
wäre dann, dass beyde Eheleute
sich hinwiederum mit einander ver-
söhnen lassen würden, auf welchen
Fall nicht desloweniger das schul-


dige Theil entweder mit Gefäng-
niß oder Geldbuß gebüublich be-
strafen werden soll.

1) W Ü R T E M B Ü R G I S C H E
E H E - V N D E H E G E R I C H T S-
O R D N U N G P. II. Cap XIII.
§. 9. Wofern aber nach solcher
rechtlichen Scheidung und, da sein
Ehegatt schon einen andern gebe-
ratet, oder ihn nicht wieder an-
nehmen wollte, das hingezogen
muthwillig Ehegemächt sich wieder
in das Land und nach Hauss be-
geben und kommen sollte, so soll
dasselbig dieses Herzogthums ver-
wiesen — werden.

vxores sua culpa diuortium efficients dote priuandas esse
 in vniuersum statuunt? Evidem nolumus nunc ad anti-
 quiora Romanorum tempora recurrere, quibus prauas vxo-
 res saltem parte dotis iam priuatas fuisse constat. Haec
 enim late persecutus est b. BOEHMERVS ^{m)} ita, vt varias,
 quas discidii poena in iure ciuili sensim passa est vicissitudi-
 nes, egregie expositas apud eum legere licet. Sed cum
 animus nobis sit, ea tantum tractare, quae ad fori vsum
 referri possunt, allatis nonnullis Codicis atque Nouellarum
 locis, vt recentioribus legibus, nostram sententiam confir-
 mare studebimus. Primum prodeat L. XXIV. C. de iure dor.
 quae ita se habet: *Si dotem marito libertae vestrae dedisti,*
nec eam reddi soluto matrimonio vobis in continentia paecto vel
stipulatione prospexit, hanc, CVLPA VXORIS DIS-
SOLVTO MATRIMONIO, penes maritum remansisse
constitit, licet eam ingratam circa vos fuisse ostenderitis.
 Ex quibus verbis intelligitur, culpam vxoris in dissoluendo
 matrimonio obuenientem adeo proficiam esse marito, vt
 etiam dotem ab extraneo datam, multo magis eam, quae
 ex bonis ipsius vxoris aut eius patris prouenit, ideo ex re-
 gula lucretur. Deinde hoc pertinet L. VIII. C. de repud.
 vbi postquam Imperatores THEODOSIVS atque VALEN-

TINIA-

m) *Iust. Henn. BOEHMERVS in seqq. nec non in Iure Eccles. Pro-
 test. lib. IV. Tit. XX. §. 3. seqq.
 statut. ex capite adult. Cap. I. §. 4.*



TINIANVS iustas mittendi repudii caussas, quae quidem
tum temporis partim in marito, partim in vxore probarentur,
exposuerant, de coniugibus hanc legem violentibus
§. 4. et 5. sic statuerunt: §. 4. Haec nisi vir et mulier ob-
seruauerint, vtrice prouidentissimae legis poena plementur.
Nam mulier si contemta lege repudium mittendum esse tenta-
verit, suam dotem et ante nuptias donationem amittat, nec
intra quinquennium nubendi habeat denuo potestatem. Ae-
quum est enim, eam interim carere connubio, quo se monstrau-
it indignam. Quod si praeter haec nupserit, erit ipsa qui-
dem infamis: connubium vero illud nolumus nuncupari. In-
super etiam arguendi hoc ipsum volenti concedimus libertatem.
Si vero causam probauerit intentatam, tunc eam et dorem
recuperare, et ante nuptias donationem lucro habere, aut le-
gibus vindicare censemus, et nubendi post annum ei (ne quis
de prole dubitet) permittimus facultatem. §. 5. Virum etiam si
mulierem interdicta arguerit attentantem, tam dotem, quam
ante nuptias donationem sibi habere seu vindicare, vxorem
que, si velit, statim ducre, hac iusta definitione fancimus.
Sin autem aliter vxori suae renuntiare voluerit, dotem redi-
beat, et ante nuptias donationem amittat. Quam legis dis-
positionem si accurate inspexeris et cum antecedentibus
§phis comparaueris, duo animaduertes: 1) Vxorem ob-
quocunque diuortium sua culpa factum dote illata cade-
re. 2) Culparum vxoris in dissoluendo matrimonio dupli-
modo interuenire, cum ea aut ex caussis legibus haud per-
missis



missis repudium mittit marito, quod illa aetate, qua diuor-
tia publicam iudicis auctoritatem nondum desiderarent,
frequenter fieri solebat, aut tale quid committit, quod ma-
rito licentiam dat illam repudiandi: de quarum specierum
prima in §. 4. de altera vero in §. 5. huius legis agitur.
Verba enim §. 4. *Nam mulier si contemta lege repudium*
mittendum esse tentauerit etc. ad §. 2. respiciunt, qua Imper-
ratores species definiuerunt, in quibus vxori repudii auxi-
lium permisum esset, ut adeo mulier *contemta lege repu-*
dium tentasse tunc censeatur, quando circa causas lege ap-
probatas illud miserit. Ac quae §. 5. de muliere, quam
maritus *interdicta arguerit* attentantem, occurrunt, ad im-
proba vxoris facta, ob quae marito vxorem dimittere liceat,
in §. 3. commemorata spectant.

§. V.

Continuatio.

Hanc vero iniusti discidii aut culposi diuortii poenam
tantum abest, ut IUSTINIANVS, et si alioquin in cauissi
coniugalis repudii determinandis parum sibi constans, re-
probauerit, ut is potius eam non solum in L. XI. C. de re-
pud. vterius ad mulieres indotatas protulerit, dum illas ob-
easdem cauissas, in quibus vxor dotem marito allatam amit-
tit, quarta suorum bonorum parte, mariti lucro cedente,

priuādam statueret: ⁿ⁾ verum etiam nouissimis adeo legibus expressis verbis repeteret et confirmaret. Ita sane in Nov. XXII. cap. XV. §. 2. sancitum legitur: *Scilicet tali aliquo factō dat lex haec viro obīcere mulierem, si vel unam harum et solam probauērit causam: et lucrari quidem dotem, antenuptialem vero habere donationem.* Si vero altera harum personarū irrationabiliter repudium miserit, et hoc ipsum soluēti matrimonium sine ratione, subdita erit dudum a nobis dictis poenis. Eadem occurunt in Nov. CXVII. cap. V. pr. vbi Imperator: *Nunc autem causas, ait, ex quibus repudium maritus mittere sine periculo potest, et dotem uxoris lucrari — has esse decernimus; et cap. IX. Causas autem, pro quibus rationabiliter potest viro a muliere mitti repudium, ex quibus potest et dotem recipere — has esse solas disponimus; nec non cap. XIII. Quia vero quaedam mulieres inboneſte volentes viuere, festinant propria matrimonia soluere, sancimus, si quando mulier citra aliquam praedicta rum a nobis cauſarum voluerit matrimonium soluere, licentiam quidem eam non habere hoc agere: si vero permanferit*

in

ⁿ⁾ En ipsa legis verba: *Si quis autem eam, quam sine dote uxorem accepterat, a coniugio suo repellere voluerit, non aliter ei hoc facere licet, nisi talis culpa intercesserit, quae vestris legibus condemnatur. Si vero sine culpa eam reiecerit, vel ipse talem culpat contra innocentem mulierem commiserit, compellatur ei quartam partem pre-*

priac substantiae — persoluere. — Eodem modo seruando et in mulieribus, quae indotatae constitutae, si sine culpa mariti constitutionibus cognita, eos repudiauerint, vel ipsae culpati innocentii marito praebuerint: ut ex utraque parte aequalitate et aequitas, et poena seruetur.

in huiusmodi impia voluntate, et repudium marito transmiserit, iubemus dotem quidem marito dari. Ex his igitur, quae in medium protulimus, claris legum Romanarum sanctionibus satis intelligi arbitror, vxorem, cuius culpa matrimonium dissolutum est, siue ipsa iniuste maritum repudiauerit, siue improbis moribus suis legitimam diuertendi caussam marito praebuerit, poenae amittendae dotis omnino obnoxiam esse. ^{o)} Vnde simul prono alueo fluit, vxorem quoque malitiosa mariti sui desertione in eandem incidere, cum haec desertio iusta apud nos sit diuortii caussa, adeo, ut matrimonium, quod ob mulieris discessum soluitur, vxoris culpa dissolutum omnino censeri oporteat. Sane, qui aliter statuunt, celeberrimam illam dialecticorum regulam, quae, quod de vniuerso aliquo genere pronuntiatur, etiam ad singulas eo comprehensas species pertinere praecipit, admodum negligere videntur. Quid igitur mirum, hanc de priuationis poena ad desertricem foeminam trahenda sententiam non solum doctorum virorum ^{p)} iudicio comprobari, verum etiam ipsis legibus passim confirmari? Ita, ut vno saltem exemplo rem illustremus, **IVRE WÜRTEMBERGICO** ^{q)} expresse cautum: *Wann ein Ehe-*

B 3

gemaecht

^{o)} Quatenus vero ipsa haec dos amis-
fa cinisque proprietas marito cedat,
pro diuersa specierum conditione
rite exposuit *Io. Gottl. SIEGE-*
LIVS in *Diss. de bonis uxoris*
malit. desertricis, (*Lipsiae 1743.*)
§. VIII. seqq.

^{p)} Quorum nonnullos §. II. nominavi.
Quibus in primis addi meretur
SIEGELIVS in *Diss. cit.*
^{q)} *Des Herzogth. Württemberg ge-*
mein Landrecht, P. II. Tit. XXXII.

❧

gemaecht von dem andern ohne redliche Vrsachen hinweg laufen, oder Ehebrüchig und derselbig Ehebruch offenbar, darüber die Ehescheidung mit Vrthel erkennt würde, solches Ehegemaecht soll sin zugebracht Zugelt oder Heyrathsgut, ganz und gar verwuerckt und verlobren haben. — Da aber kein gewisses Heurathgut, Zugelt, noch Widerlegung zwischen solchen Eheleuten austruckenlich benennet; in solchen Fall soll das hingeloffen oder Ehebrüchig schuldig und geschieden Ehegemaecht den vierdten Theil aller seiner damals pleno iure gehabten Guetter, nichts davon aufgenommen, verwuerckt haben, und solcher vierdte Theil dem ohnschuldigen Ehegemaecht zugesellt und eingeraubt werden. Repetitionem iuris civilis quis hic non agnoscat?

§. VI.

4.) Argumentum ex iure Saxonico petitum:

Tandem doctrina hac tenus proposita etiam in iure Saxonico haud leue reperit praesidium. Etsi enim leges nostrae de dotis priuatione ob malitiosam desertionem decernenda disertis verbis nihil disponunt^{r)}, earum tamen analogiae huius poenae vsus, licet paullisper immutatus, omnino accommodatus est. Scilicet cum apud Saxones manerit

r) Sane CONST. ELECT. SAX. XXVI. P. III. proprie hue non trahenda, quippe ad successionis emolumenta spectans, quibus defens rens coniux intuitu honorum de-

ferti poenae caufa priuatur: potest tamen aliquod ab analogia argumentum pro nostra sententia inde omnino duci. Conf. infra §. XI.

ritus heres in bonis vxoris mobilibus, exceptis utensilibus,
 (quippe quae, praeter paucas marito relinquendas, omnes
 proximae cognatae cedunt,) tam firmo iure existat, ut ius
 ipsi in his rebus quae situm ne voluntate quidem coniugis
 adimi aut minui possit;^{s)} satis iniquum foret, si vxor,
 quae malitiosa desertione diuortio ansam dedit, nihilo se-
 cius omnia illata bona repetere, et maritum innocentem
 futuro successionis commodo priuare valeret. Ne igitur
 hoc accidat et prauae mulieres sui delicti quasi praemium
 habere videantur, necesse est, (etiam si nulla iuris ciuilis de
 dote ob diuortium vxoris culpa factum amittenda sanctio
 prostatet,) ut maritus Saxo omnia bona coniugis desertricis,
 in quae, si matrimonium ad huius mortem usque perficit-
 set, ille successurus fuisset, hoc est, omnia mobilia (si a
 rebus utensilibus praeter eas, quas viduus a cognata accipit,
 discesseris,) dotalia et paraphernalia, soluto ob vxoris de-
 fensionem matrimonio non minus, ac id propter adulterium
 apud nos fieri solet, lucretur, de immobilibus vero,
 quamquam dotalibus, nihil retineat; id quod fori nostri
 usus omnino comprobatur.^{v)} Ex quo simul perspicitur, ius

patrium

^{s)} SPEC SAXON. lib. I. art. XXVI.
 et lib. III. art. LXVI. CONST.
 ELECT. SAX. XXII. P. III.
^{t)} CONSTIT. ELECT. SAX.
 XXI. P. IV. ibique CARPZOVI-
 VS, in primis Def. I. Conf.
 MENCKENIVS in System. Iur.
 Civ. Lib. XLVIII. Tit. V. §. IX.

LEYSERVS Medit. ad Pand.
 Spec. DLXXIX. med. 5. ill. HOM-
 MELIVS Rhaf. Quaeflion. Obs.
 CCCLXI.
^{v)} Vid. CARPZOVIUS Definit.
 forens. P. III. C. XXVI. Def. 20. 21.
 22 ill. HOMMELIVS lib. cjt.
 Obs. DCIX. Immo conditio mari-
 ti

¶

patrium a iure ciuili ita quidem differre, vt hoc solas res dotales, sive mobiles, sive immobiles, malis vxoribus auferrat, at paraphernalia bona omnia iis, nisi forte indotatae fuerint, relinquat, illud vero non tam ad dotis qualitatem, quam potius ad res successionis iure ad maritum pertinentes respiciat; in eo tamen vtrumque amice conspirare, quod vxores desertrices partem bonorum mariti lucro cedentem amittant. Quo discrimine rite obseruato, dubia a SIEGELIO (hac in re parum sibi constante, cum antea ipse rationem lucri a marito innocentie ex bonis deferentis coniugis percipiendi in illius iure, vt vocat, radicato circa res vxoris mobiles ponendam duxisset,) facultati mariti, etiam res paraphernales mobiles sibi vindicandi opposita, w) facile corruunt.

§. VII.

Argumenta contraria sub examen vocantur:

1.) *Leges Romanas de dotis priuatione extensuam interpretationem non ferre.*

At enim vero cum non sufficiat, rationes, quibus aliqua sententia nititur, exposuisse, sed in primis etiam ad scriptoris

ti mobiles res vxoris desertionis causa sibi vindicantis melior, ac eius, qui mortuae coniugi succedit, in eo esse videtur, quod ille non, sicut hic, liberis aut ascendentibus vxoris legitimam portio-

nem ex bonis mobilibus, deficien-
tibus immobilibus, praefastare debet, cum viuentis nulla sit legitima.

w) SIEGELIVS in *Differt. cit.*
§. XXV. seqq. coll. cum §. XXI.

scriptoris officium spectet, ea, quae a diuersae opinionis patronis afferuntur, remouere, age, quid doctrinae de dote vxori desertrici adjimenta ab iis, qui contrarium defendunt, ^{x)} opponi solet, et quomodo nostra sententia ab his dubiis vindicari possit, nunc videamus.

Primum aiunt, leges Romanas, quae dotis priuationem vxoribus minantur, desertionis malitiosae nullam plane mentionem facere, sed desiderare, ut aut maritus foeminam ex causa aliqua inter iustas ibi relatas dimiserit, aut vxor maritum sine probabili cauifa repudiauerit; leges vero poenales stricte esse explicandas, nec pati aequitatis et bonae interpretationis regulas, ut illae ad alias species ibi non commemoratas adplicantur. ^{y)} Ergo placita Romanorum circa poenam amittendae dotis ob iniustum vxoris diuortium aut factum eius improbum marito diuertendi facultatem tribuens, ad malitiosam desertionem, tamquam longe aliam speciem, cum ea neque cum repudii libellis tum temporis visitatis conueniat, neque inter cauifas, ob quas iustiniiani aeuo marito vxorem repudiare licebat, reperiatur, trahi prorsus non posse.

Haec

^{x)} In quorum numero est auctor anonymus libelli recentissimi, qui hac inscriptione prodiit: *Entscheidung der Frage: Ob nach erfolgter Ehescheidung wegen Verweigerung der ehelichen Pflicht die allgemeine in Deutschland gelende Rechte und die Provinzial-Gesetze des Her-*

Zogthums Württemberg den schuldigen Ehegatten mit dem Verlust seines Heiratbguts, Zogelds oder vierzen Theils des Vermögens bedrohen oder nicht? 1776. 8. vbi Cap. VI. haec quaefio ex instituto tractatur.

^{y)} L. 155. §. 2. D. de Reg. Iur.

C

Haec speciose quidem, at nec vere, nec iuste dicta.
Nam et si largimur, malitiosae desertionis, quam nos hodie
vocamus, expressis verbis nullam in iure ciuili, ubi de do-
tis amissione agitur, mentionem fieri, immo, ut paullo
liberaliores simus, ea, quae in L. VIII. §. 3. C. de repud. de
vxore marito inuito sine iusta et probabili cauſa foris per-
noſante obueniunt, atque in Nov. XXII. Cap. XV. §. 2.
nec non Nov. CXVII. Cap. VIII. §. 5. repetita leguntur, de
malitiosa desertione proprie sic nuncupata, de qua ea paſſim
capi animaduertimus, commode haud intelligenda esse,
male tamen concluditur, has ipsas leges, saluis bonae in-
terpretationis regulis, ad nostram speciem accommodari
non posse. Scilicet, qui id negant, non cogitant, Roma-
nos generalem cauſam, propter quam vxores, fecuto diuor-
cio, dote priuari debeant, in culpa nocentis coniugis po-
ſuisse: id quod satis intelligitur ex L. XXIV. C. de iure dor.
quae rationem, cur in specie ibi proposita (eft enim haec
conſtitutio ex reſcriptorum numero,) dos apud maritum
remanferit, hanc ſolam reddit, quod matrimonium vxoris
culpa diſſolutum fuerit. Quam legem qui cum recentio-
ribus ad hoc argumentum pertinentibus Imperatorum
THEODOSII atque IVSTINIANI ſanctionibus, quas §. IV.
et V. enarrauimus, nempe L. VIII. C. de repud. Nov. XXII.
et Nov. CXVII. diligenter contulerit, facile deprehendet,
illam his posterioribus conſtitutionibus non, ſicut vulgo
putatur, abolitam, ſed illuſtratam potius et conſirmatam
effe.

esse. Nam cum omnes species de dotis priuatione quoad mulieres ibi commemoratae; dissolutionem matrimonii vxoris culpa factam esse, supponant, quid, quaeso, clarissimus, quam nouissimos legum Romanarum conditores in hoc argumento tractando veterem et vniuersalem regulam *L. XXIV. C. de iure dot.* comprehensam constanter seruasse? Itaque quamvis ipsae caussae, ob quas in diuortio faciendo culpa vxoris, poenis digna, intercedere legibus visa est, non eadem semper fuerint, sed variae circa eas sensim contigerint mutationes, saluum tamen mansit principium commune, vxorem ob quodlibet diuortium, quod secundum legum sententiam eius culpare tribuendum, dote sua excidere. Ex quo consequitur, recepto apud nos iure ciuili, in quo ista regula fundata, posse eam ad illas caussas, ob quas hodie, uxoris culpa interueniente, diuortium fit, in his in primis etiam ad malitiosam desertionem optimo iure applicari. Sane qui hac interpretatione vitur, non a specie ad diuersam speciem, quod aduersarii obiciunt, argumentum dicit, sed, dum ex sola regula ius sumit, id, quod de vniuerso genere diuortiorum malarum uxorum culpa contingentium valet, de singulis, quae illo continentur, speciebus tuto praedicat.

Quae omnia magis adhuc firmantur partim iis, quae malitiosa desertione ipsi adulterio aequiparanda §. II. et III. disputauimus, partim eiusmodi discessus cum libello reputandi ex caussa legibus haud probata a Romana uxore marito



missa conuenientia; quae sane maxima est, cum parum interfit, coniugem ex causa illicita expressa voluntate repudiū libello declarata a coniuge se abdicare, aut tacite, ut sit in malitiosa, quam vocamus, desertione, matrimoniale vinculum soluere.

§. VIII.

2.) Rationem huius poenae nostris moribus non esse accommodatam.

Deinde aduersarii indolem coniugij, qualis hodie inter Christianos est, a Romano connubio adeo diuersam esse aiunt, vt, quae de priuatis diuortiorum poenis circa hoc iure ciuili sancita sunt, mores nostri et forma Christiani matrimonii inter coniuges amplius obtinere haud patientur. Nam siue illum primarium Romanarum legum circa coniubia, in augenda sobole positum, ex penuria incolarum regni Romani, continuis bellis, immensa luxuria, aliisque cauissis orta, ductum apud nos non tanti esse ponderis, ac apud Romanos; nec decere Christianos, leges Romanas eorumque rationes institutis diuinis accomodare; immo in praesenti quaestione id numquam fieri posse, cum sanctiones Romanae de dotis priuatione repudium iniustum ac ex causa lege non probata missum, eti poenis subiificant, nihilosecius tamen valere finant, tale quid vero litterae sacrae minime ferant. Sed quam leues sint hae ratiunculae, facile est intellectu. Non solum enim verus legum connubialium diuiniarum aequae ac Romanarum spiritus ad augendos

olim

cives

ciues et conseruandas familias in primis tendit, adeo, vt sancita, quae huic fini inferuiunt, Christianis quoque optimè conueniant, verum etiam illac leges, quibus iniustis aut culposis diuortiis poenae scriptae sunt, cum mente Christi et Apostolorum de indissolubili matrimonii vinculo, quae e litteris sacris elucet, omnino conspirant, dum terrent coniugem, ne quid committat, quo matrimonium sua culpa solviatur. Ut taceam, plerasque leges Codicis et Nouellarum, quae de dotis priuatione agunt, principes Christianos pietatis laude clarissimos, Theodosium nempe iuniorem atque Iustinianum, autores agnoscere.

§. IX.

3) Poenam priuationis dotis in mariti lucrum decernendam Nov. CXXXIV. sublatam esse.

Grauior esse videtur dubitatio ex Nov. CXXXIV. petitia, quasi hac lege dotis in mariti lucrum cedentis priuatione penitus abrogata fuerit. De qua controuersia quid sentendum sit, quo melius in oculos incurrat, ipsum locum commemoratae Nouellae, unde ea orta, adscribamus. Scilicet in Cap. X. vbi de adulterii poenis agitur, postquam, quid de bonis adulteri, illius in primis, qui vxorem habet, iuris esse debeat, vtque eius coniugi dos et propter nuptias donatione, aut, si nulla dotalia instrumenta confecta, pars lege concessa falsa sit, cautum, ad adulterae foeminae conditionem progressus IVSTINIANVS sic statuit: *Adulteram*

C 3

vero

¶

vero mulierem competentibus vulneribus subactam in monasterium mitti: et si quidem intra biennium recipere eam vir suus voluerit, potestatem ei damus hoc facere. — Si vero praedictum tempus transferit, aut vir, priusquam recipiat mulierem, moriatur, tondere eam et monachicum habitum accipere et habitare in ipso monasterio in omni propriae vitae tempore: et si quidem habeat descendentes, duas partes accipere eos substantiae, secundum legum ordinem diuisas, reliquam vero tertiam partem monasterio, in quod mittitur, dari. Si vero descendentes non fuerint, sed ascendentis inueniantur non consentientes huiusmodi iniquitati, quatuor uncias eos secundum leges diuisas accipere, octo vero uncias dari monasterio, in quo includitur huiusmodi mulier. Si vero neque descendentes, neque ascendentis habeat, aut ascendentis consenserint huiusmodi iniquitati, omnem eius substantiam accipere monasterium illi conseruandam: ut per omnes casus viro pacta dotibus illata instrumentis seruentur. Cum igitur hic nulla dotis adulterae vxoris ab eius marito lucrandae mentio facta deprehendatur, sed potius, ut omnis eiusmodi mulieris substantia partim illius descendantibus aut ascendentibus, partim monasterio cedat, sancitum, non sine magna veritatis specie vulgo defenditur, IVSTINIANVM lucrum dotis antiquioribus, immo suis ipsius legibus improbarum vxorum maritis antea concessum, hac noua constitutione, saltem tacite, in vniuersum tollere voluisse. Cui quidem interpretationi maius adhuc robur accedere videtur

videtur ex ea, quae statim sequitur, in eiusdem *Nouella CXXXIV. Cap. XI.* dispositio de iniusti repudii poena, in qua ne verbum quidem de dote marito ab vxore iniuste repudiato applicanda occurrit.

§. X.

Continuatio.

At salua res est. Nam primum adhuc sub iudice lis est, vtrum hac Nouella marito innocentia dos a Iustiniano admota fuerit: id quod ex rationibus grauissimis multi, in his in primis **MATTHAEVS** ^{z)} atque **BERLICHIVS**, ^{aa)} et suo aevo iam **ACCVRSIVS**, ^{bb)} in dubium vocarunt. Sane non appetat idonea cauſa, cur Imperator, qui sub initium *Cap. X.* huius Nouellae vxori adulteri praeter dotem etiam donationem propter nuptias saluam esse iusserat, nihilosecias maritum dotis lucro, anterioribus legibus ipſi ob diuortium vxoris culpa factum concesso, carere voluerit. Quae enim vulgo affertur, esse hoc in poenam duritiae mariti vxorem intra biennium reducere nolentis statutum, valde suspecta est, cum non probabile sit, legislatorem cogere voluisse maritum laesum, ut reducat eam, quae flagitiis suis honore matrimonii indignam se reddidit. Quapropter cum non

folum

z) *Ant. MATTHAEVS de cri- aa) BERLICHIVS *Conclus. practi-*
minib. ad Tit. Dig. de adult. Cap. cab. P. IV. Concl. XXIX. n. 4. seqq.
III. §. 2. bb) ACCVR SIVS in *Gloss. ad L.*
§. C. de repud.*

decorative border

solum haec interpretatio graui difficultate laboret, in ambigua vero legis explicatione ea sententia sequenda sit, quae vitio caret ^{cc)} sed etiam quidquid ex prioribus constitutinibus noua lege expresse mutatum haud intelligitur, in dubio adhuc stare censeatur, valde inclino in eorum sententiam, qui hac nouissima constitutione iuri mariti in improbae vxoris dotem nihil detractum, sed tantum de reliqua bonorum ultra dotem substantia aliter, ac anterioribus legibus factum erat, cautum esse, (vt nempe ea nunc interdescendentes aut ascendentes mulieris et monasterium dividatur) contendunt: et parum abest, quin verba: *Nov. CXXXIV. Cap. X. Ut per omnes casus viro paſta dotalibus illata instrumentis feruentur*, de ipsa dote illata et a marito ob vxoris nequitiam lucranda accipi suadeam. Sed quicquid sit, haec Nouella, etiamſi facultati mariti, dotem vxoris adulterae aut ex cauſa reprobata eam repudiantis retinendi, derogasse censeatur, tamen non niſi de duabus speciebus matrimonii vxoris culpa diſſoluti, ſi nempe haec vel adulterio cauſam diuertendi marito praebuerit, vel ipsa illiciti repudiī libellum ei miſerit, intelligi poteſt. Plures fane ibi commemoratas haud reperies. Ergo cum regula de dote ob diuortium vxoris culpa factum a marito haud retinenda, ſic ne tota quidem euersa fit, quid, quaefo, prohibeat, eam ob diuortionem malitiosam, tamquam legitimam et nostro iure probatam diuortium petendi cauſam in mariti fauorem

^{cc)} *L. XIX. D. de legib.*

fauorem adhuc applicare? De cuius regulae hodierno vsu
 quo minus dubitemus, efficit etiam iuris canonici auctorita-
 tas, quod dotis lucrum vel in ipsa adeo adulterii causa, in
 qua, vt vidimus, marito Nouella CXXXIV. ademtum esse
 vulgo aiunt, eidem innocentio denuo tribuit. Ita enim
 CLEMENS III. in cap. IV. X. de donat. int. vir. et vxor. re-
 scriptis: *Plerumque accedit, vt proponis, quod in parochia
 tua mulieres a viris suis causa fornicationis recedunt, et sic
 usque ad mortem ipsorum permanere noscuntur.* Ipsis autem
 defunctis, cum a consanguineis, ad quos hereditates eorum
 perueniunt, dotem suam cum dotalitio repetunt, eis audi-
 tiam denegant, et eis nolunt restituere, quod reposcunt, ob
 hanc causam, quia in eo ipso se indignas fecisse noscuntur,
 quod a viris suis causa fornicationis duxerunt recedendum.
 In hoc casu itaque dicimus, quod, si aliqua mulier ob causam
 suae fornicationis iudicio ecclesiae, aut propria voluntate a
 viro suo recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, inde, de-
 functo ipso, dotem vel dotalitium suum repetere non valebit.
 Equidem, quamquam non ignoro, fuisse, qui hanc sanctio-
 nem de ipsa malitiosa desertione proprie sic dicta intelligi
 vellent, ^{dd)} (quae interpretatio si vera esset, nouum idque
 firmissimum praesidium nostrae sententiae afferret,) nolo
 in horum castra transire, et communem interpretum scho-
 lami

dd) Vid. Io. Sam. Frid. BOEHME. ZOVII Praet. rer. crimin. Qu.
 RVS in Obseruat. ad CARP. LVIII. Obs. II.



Iam de mulieribus adulteris istum locum explicantium deferre. Hoc tamen inde tuto colligi posse arbitror, ius canonicum, quod in foris nostris iuri ciuili praeferri solet, regulam iuris civilis de dotis priuatione in commodum innocentis mariti decernenda adprobasse, ut adeo *Nouella CXXXIV.* quoquinque sensu eam capere placuerit, hodiernum huius poenae usum impedire nequeat.

§. XI.

4.) Loca iuris Saxonici contraria.

Vnum adhuc remouendum restat dubium ex iure Saxonico promanans. Duo namque sunt **SPECVLI SAXONICI** loca, quae alicui, si fugiente oculo inspexerit, nec cum analogia iuris patrii cum veteris, tum recentioris accurate comparauerit, facile persuadere possint, saltem in Saxonis terris mulieres desertrices aut alio modo sua culpa diuortio caussam praebentes a dotis priuatione immunes esse. Nempe in **SPEC. SAX.** lib. I. art. XXI. haec leguntur: *Wirt san ein man mit rechte von sine wibe gescheiden, si beheldet doch ire libzucht die be ir gegeben hat an sine eigene.* Ac lib. III. art. LXXIV. *Wirt ein wib mit rechte von irme manne gescheiden, sie behelt doch ire libzucht die her ir gab in sineme eygen.* Conspirare quoque videtur alias locus **SPEC. SAX.** lib. I. art. V. vbi ita: *Wib mag mit unkuechheit ires libes ire wiblichen ere krenken, ir rechi verluset sie da mete nicht noch ir erbe:* vnde ne adulterio quidem, nedum desertione

desertione malitiosa dotem amitti forte colligi queat. Multum, fateor, circa haec loca cum inter se, tum cum aliis communis et electoralis iuris Saxonici regulis concilianda SIEGELIVS ^{ee)}) laborauit, omnemque pugnam ita tolli posse statuit, vt diceret, verba ex lib. III. art. LXXIV. adscripta de diuortio mariti culpa facto capienda esse, in primo vero loco lib. I. art. XXI. comprehenso de dissoluzione connubii, in qua non vxor, sed maritus innocens reprehendatur, agi quidem, sed nihilo secius vxoram improbam isto aeuo, quo dotalitium nondum dotis illatae gratia, sed viduae sustentandae causa constituere moris erat, dotalitium suum, licet diuortio fecuto, retinuisse, idque recentiori demum iure, quo illud intuitu dotis praefatur, mutatum esse, vt adeo ex hoc loco ad decidendam quaestio- nem controuersam de dotis priuatione nullam idoneam rationem arcessere licet; posse tamen eum de bonis vxoris desertricis paraphernalibus intelligi. At enim vero, et si hoc largimur, a dotalitii tum temporis visitati iuribus ad praesentem eiusdem indolem aut dotes, quae vxores hodie inferre solent maritis, argumentum duci non posse, veremur tamen, vt reliqua a SIEGELIO proposita rite cohaereant. Nam nec probabile, maiores nostros vitae honestatem et castitatem strenue sectantes, malas vxores, quae matrimonii honore indignas se reddiderint, pari iure cum bonis vii passos esse, nec conuenit SIEGELII inter-

D 2

pretatio

ee) SIEGELIVS in Diff. cit. §. VII. XXI. XXII. XXV.

28

pretatio art. XXI. lib. I. de bonis vxoris paraphernalibus, cum iure mariti in res coniugis mobiles, de quo §. VI. a nobis dictum, ac cum notione vocabuli *Libzucht* et orationis serie, quae, de dotalitio sermonem esse, manifesto indicat. Mihi potius vterque locus **SPECVLI SAXONICI** (lib. I. art. XXI, et lib. III. art. LXXIV.) ubi diuortientio facta deprehenditur, de separatione coniugum, quae nullo alterutrius coniugis facto improbo intercedente, ex causa tamen legibus approbata, (v.g. ob praecedentem impotentiam aut aliud impedimentum dirimens, quod matrimonium nullum reddit,) publica adeo auctoritate fit, capiendus videtur: in qua quidem opinione **GLOSSA GERM.** ad cit. art. XXI. lib. I. haud parum me confirmat. Et quod ad verba ex **L. I. art. V.** supra descripta attinet, quibus, foeminam luxuriosa vita iura sua ac hereditatem haud perdere, significatur, ea non ad iura intuitu matrimonii competentia, sed ad hereditatem parentum pertinere, praeter contextum etiam **GLOSSA GERM.** docet. Quemcumque vero sensum hisce Speculi Saxonici locis inesse existimes, hoc tamen certum, hodie dotalitium, sicut reliqua iura ex innocentis coniugis bonis capienda, malitiosa desertione amitti. Ita enim in **CONSTIT. ELECT. SAX.** XXVI. P. III. sancitum: *Da der Mann die Frau, oder die Frau den Mann boeslich verlaest, von ihm weglauft, oder in grosser Leibes-Schwachheit, darinne er oder sie gestorben, deseriret, und solche Ursachen zu Recht erheblich und gnugsam*

sam erkannt worden; so soll dem schuldigen und verbrechen-
den Theil dasenige, so ihm aus der Ebestiftung, Statut, Ge-
wohnheit oder Recht von des Verstorbenen Guethern gebuehret,
auf den Fall, da des Verstorbenen Erben solches wiedersechten,
nicht folgen; sondern den Erben zuerkannt werden. Vnde,
cum hodie arctissima sit inter dotalitium et dotem coniun-
ctio, etiam hac ratione nostra sententiam de vxore dote
sua ob malitiosam desertionem priuanda ab analogia iuris
Saxonici recentioris haud alienam esse, cognoscitur.

§. XII.

Exceptiones a regula proposita et defensa:

i.) Ob dolum in uxore ceſſantem.

Quae haetenus disputauimus eo pertinebant, vt mu-
lieres, quae maritos suos deserunt, dotem ex regula per-
dere, appareret. Cum autem nulla regula tam firma sit,
quin pro re nata exceptiones patiatur, non mirum, idem
de nostra quoque valere. Ac primo quidem ipsa rei natu-
ra et vera ratio, qua haec priuationis poena nititur, et quam
in perfidia malisque vxoris moribus quaerendam esse supra
vidimus, satis ostendit, eas tantum mulieres ita puniendas
esse, quae veram malitiam et dolum in maritis deserendis
produnt, quales sunt, quae, vt luxuriose viuere possint,
aut ex sola pertinacia priuata auctoritate a maritis animo,
amplius cum iis non cohabitandi, discedunt: at longe mi-



tius cum illis agendum esse, quae caussas saltem ob aequitatem probabiles, cur secesserint nec redire velint, praec se habent. Inter has caussas immunitatem a dotis amissione praestantes, primum absque dubio locum meretur separatio quoad thorum et mensam Consistorii auctoritate decreta. Sane discessus foeminae, cui ipsius iudicis arbitrio per aliquod tempus a consortio cum marito abstinere permisum, pro doloso haberri nequit, etiam si ipsa fortassis suis moribus separationi anfam dederit, modo non diutius, quam concessum, sine iusta caussa absit. Nam iudicis auctoritas omnem hic tollit contumaciae imputationem. Deinde nec ea foemina inter malitiosas desertrices, quae dote excidunt, referenda, quae ob dubiam conscientiam a marito discedit. Etsi enim peccat, quod ante licentiam iudicis decreto impetrandam a marito abstinet, tamen non tantum ab illa peccatum, ac si citra omnem rationem se separauerit, in primis cum id non tam animo matrimonium dissoluendi, quam potius suspendendi gratia, donec iudicis sententia de valore aut nullitate coniugii certior facta fuerit, fecisse videatur. ff)

§. XIII.

ff) Conf. M E V I V S in *Decision. Tribun. Wismar.* P. VII. Dec. CLXII.
BOEHMERVS ad CARPO-

vii Praef. rev. crimin. Qu. LVIII.
Obf. II.

§. XIII.

Continuatio.

In primis vero a dolo excusatur mulier, maritum ex tali causa in huius moribus aut conditione posita deserens, ob quam separatio a thoro et mensa, si eam petiisset, decerni potuisset, hoc est, ob saeuitias mariti, ob minas paulo atrociiores, ob continuas et grauissimas obiurgationes haud promeritas, denique ob egestatem mariti vxorem alere non valentis ^{gg)} Eiusmodi sane foemina, quae a marito tyranno excruciatia aut ab egeno ad famem fere relegata in fuga salutem quaerit, quid, quoefo, aliter facit, quam ut vitam et sanitatem seruare studeat? At, obiicis, non licet tamen ei priuato arbitrio maritum deserere! iudicem implorare eam oportebat, vt suo auxilio succurret, et, si opus videretur, separationem decerneret! Equidem non ignoramus, secundum iuris rigorem haud omni culpa vacare talem foeminam, quae neglecto iudicis auxilio (cum hoc sine graui vitae aut sanitatis periculo expectare posset,) propria auctoritate a marito se separauit; nam tamen cum vxore luxuriosa aut durissimae ceruicis, quae libidinis gratia vel ex morositate abiit, in vnam quasi classem referre, ac utramque ijsdem poenis subiicere, et inhumum

gg) Nam etiam ob solam mariti inopiam temporariae coniugium separationi locum esse, nuper pro more suo, hoc est, docte, solide, ele-

ganter defendit rerumque indicatarum auctoritate firmavit P U T T M A N N V S, vir illustris, *Adversar. Iur. lib. I. cap. VII.*

decorative separator

manum esse, et a fine legum, quae prauis vxoribus sua culpa diuortium efficientibus dotis priuationem minantur, plane alienum, quis est, qui non intelligat? Anne maior hic culpa in ipso marito deserto, qui sua improbitate aut inopia coniugem quasi de domo sua expulit, quam in vxore abeunte cernitur? Per placet igitur nobis vsu passum recepta et magnorum I Ctorum iudicio probata sententia, vxorem, quae maritum deseruit, etiam secundo diuortio dotem non amittere, nisi omni probabili caussa deslita discesserit, adeo, ut mulieri, quae ob faeuicias abiit, ne quidem contumacia in reuertendo commissa ad dotem auferendam imputari debeat, si maritus idoneam de non offendendo cautionem praeflare aut nolit aut nequeat.^{hh)} Quapropter Ordo I Ctorum Lipsiensis speciem ab illustri Consistorio Altenburgensi mense Maio huius anni oblatam, secundum haec principia decidendam existimauit, et sententiam Halensem leuteratione interposita impugnatam, qua aduersus vxorem a marito ob faeuicias et inopiam primum priuata auctoritate digressam, deinde Consistorii arbitrio quoad thorum et mensam separatam, quae praeter lapsu separationis tempore, et si per sententiam vires rei iudicatae noctam addita comminatione, vt, ni pareret, malitiosae

hh) LEYSERVUS in *Medit. ad Pand.*
Spec. CCCXVI. Cor. 5. HOMMEL
LIVS, vir illustris, Rbapf. Quæst.
DCIX. Adde res iudicatas apud

CARPZOVIV M., in *Definit.*
forens. P. III. C. XXVI. Def. 20.
et PVFENDORFIV M. in *Ob-*
feruat. Iur. Vniv. T. IV. Obs. CCXL.

itiosae desertricis instar haberetur, alterutrum intrā certum spatiū facere iussa, nec ad maritum redierat, nec de matrimonio dissoluendo contra maritum egerat, praeter di- vortium etiam illatae pecuniae amissio decreta fuerat, priori huius sententiae parte diuortium praecipiente, et ne a rea qui- dem impugnata, salua relicta, quoad alteram eius partem ita mutauit, vt pronuntiaret: *Nunmebro aus denen Acken so viel zu befinden, dass Beklagte der Klägern eingebrochen, ihr und ihren Vater aber durante separatione quoad thoru et unenfähig loco alimentorum vsufructuarie wieder eingeräumten 200 fl. fuer verlustig nicht zu erklaeren, mitbin Klaegern sothane 200 fl. wieder einzubaendigen, demselben auch alle durch diesen Proces verursachten Unkosten zu erstatten nicht verbunden; sondern es hat Klaegers auf Zurueckgabe des Einbringens gerichtetes Suchen nicht statt; und werden die beyderseits aufgewandten Unkosten billig gegen einander aufgehoben.* V. R. W.

§. XIV.

2) *Ob remissionem.*

Neque hae solae, quas superioribus sphis indicauimus, caussae deserentem vxorem a priuationis poena liberant. Illis potius addenda reconciliatio ac in vniuersum quaelibet commissacē perfidiae remissio a marito deserto facta, qua efficitur, vt et mulier desertionis vere malitiosae rea dotem

E

suam


[decorative flourish]

suam conseruet, et suo tempore repetere possit.ⁱⁱ⁾ Nam qui iniuriam sibi illatam remittit, hac ipsa voluntatis suae significatione satisfactioni priuatae, quam exigere poterat, renuntiasse intelligitur. Talis autem remissio fit non solum per ipsam mulieris redeuntis receptionem in thorum mariti, aut huius declarationem de ignoscenda perfidia deque continuando cum illa matrimonio expressis verbis factam, sed etiam ex aliis quibuscumque factis, animum mariti reconciliatum aut ad seruandum magis, quam dissoluendum coniugium cum desertrice vxore inclinantem indicantibus, colligitur. Sic maritum, qui contra coniugem deferentem non ad diuortium agit, sed ut praetorii remediis a magistratu ad reuertendum et cohabitandum illa adigatur, petit, factam desertionem condonasse et dotis lucro quasi tacite se abdicasse censeri, recte defendit **MEVIVS**,^{kk)} apud quem etiam singularem speciem de muliere desertrice diuortii accelerandi gratia marito dotem illatam sponte cedente, hoc vero cessionem non accipiente, sed ad continuandum potius matrimonium experiunte, hunc in modum decisam reperies.

§. XV.

ⁱⁱ⁾ Hinc in CONST. EL. SAX. XXVI. P. III. inter cauſas, quae a poena amittendae ſucceſſionis ſtatutariae deferenti coniugi ibi proposita liberant, etiam haec refer-

tur: oder der verſtorbene Ehegatte baette dem ſchuldigen Theil bey ſeinem Leben verzieben.
kk) **MEVIVS** I. c. Dec. CLXIII.


 §. XV.
3) *Ob poenitentiam.*

Fit interdum, ut mulier, quae deserendi animo absque probabili causa a marito discesserat, postea poenitentia ducta sponte ad eum redeat, in thorum recipi rogans. Haec poenitentia an et quatenus ad dotem conseruandam vxoris proficiat? non inepte quaeritur. Distinguendum hic videtur, vtrum poenitentia tempestiuē, hoc est, ante sententiam diuortii latam, an postea demum interuenerit? Etenim cum coniugem deserentem, si antea, quam sententia definitiua pro desertrice declarata et ipsum matrimonii vinculum cum deserto ideo sublatum sit, redierit, a marito recipi et connubium continuari oporteat, ni illa adulterii ream se fecerit, aut ab huius delicti suspicione iure iurando se liberare nequeat: ¹¹⁾ patet profecto, hac ratione purgari quasi contumaciam et dolum in deserendo antea commissum, et dotis priuationem, tamquam poenam matrimonii vxoris culpa dissoluti, nunc, cum illud non soluatur, sed potius seruetur, omnino cessare. At soluto semel iudicis decreto ob desertionem malitiosam et absentis contumaciam matrimoniali vinculo, si vxor postea demum reuertatur, frustra de continuando, quod propria eius culpa iam plane sublatum, coniugio maritum interpellat, potius desertionis suae poenas luit. ¹¹¹⁾

§. XVI.

11) CAREZOVIVS in *Iurisprud.* ¹¹¹⁾ IDEM l.c. Lib. III. Def. LXVI.
Eccles. lib. II. Def. CCIX.

4) *Ob conventionem.*

Regulam nostram, mulierem diuortio sua culpa anquam praebentem dotis detrimentum pati, expressis legibus confirmaturi §. IV. in primis ad L. XXIV. C. de iure dot. prouocauimus, in qua haec scripta: *Si dotem marito libertae veſtrae dediſtiſ, nec eam redi ſoluto matrimonio vobis in contineſti paſto vel ſtipulatione proſpexiſtiſ, hanc culpa vxoris diſſoluto matrimonio penes maritum remanifiſte conſtituit, licet eam ingratam circa vos fuiffe oſtenderiſtiſ.* Quae quidem ſanctio cum marito ius retinendi dotem pro vxore, quae ſua culpa diuortium facit, ab extraneo datam tum demum tribuat, cum dans, eam ſibi redi, a marito haud ſtipulatus fuerit, ſequitur proſecto, poſſe statim nuptialibus paſtis, ſe matrimonio quacunque ex cauſa etiam per vxoris deliētum ſoluto dotem reſtituere velle, a marito valide promitti. Quodſi igitur eiusmodi exiſtat conuentio maritum inter ac vxorem, aut eum, qui huius nomine dotem dedit, inita, illum ob malitiosam coniugis deſertionem, etiſi nulla ſecuta reconciliatione aut remiſſione, nihil de illatis bonis lucrari, affirmare eo minus dubitamus, quo liberior eſt ho- minis, qui de rebus ſuis diſponendi facultate gaudet, iuri in ſuum fauorem introducto renuntiandi poſtaſ.

TANTVM.

Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



B.I.G.

Black

8
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

DE
VXORE DESERTRICE
DOTE SVA
EX REGVLA QVIDEM NON SEMPER
TAMEN PRIVANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

P. H. G.
D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

IVRIS SAXON. PROF. PVBL. ORDIN. ICTORVM ORDINIS
ASSESSORE ET COLLEGII MINOR. PRINC.
SODALI

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQUENDIS

DIE XXVIII. OCTOBRIS A. O. R. CICLO CCLXXIX.

H. L. Q. C.

DISPV TABIT

CHRISTIANVS GOTTLLOB HEYMANNVS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBÆERI.

